



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniae Agrippinae, 1634

Capvt XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

persequi & inquiri iubet Sueno. Sed is amicorum ope & beneficio, eos, qui ad indagandum destinati erant, fefellit, & incolumis euasit, nauemque nactus, tempestate aduersa aliquantisper iactatus, in Iutiam transmisit. Eò cum ventum, qua potuit celeritate id fieri, collecta militum manu, rursus cum Suenone acie dimicat ac contendit. In quo prælio Sueno lassus, viribusque confectus ac destitutus, à rustico quodam confoditur: iusto Dei iudicio eum ad pœnam trahentis, vt qui fidem datam & Iusiurandum toties violasset, & parricidium periuro cumulasset. Referunt hæc breuiter Annales nostri fol. 190. his verbis. *Anno 1157. Canutus Rex à Suenone, dolose interimitur. VValdemarus vulneratus vix euasit. Postea factum est prælium inter Suenonem & VValdemarum. Suenonis victa pars corrunt, ipse autem fugiens capitur & obtruncatur. Anno 1158. maxima tempestas exstitit, ventus turbinis fortissimus arbores immensas radicibus euulsit, Ecclesias cum domibus euertit. Aquarum quoque inundantia infinitam hominum multitudinem cum pecoribus suis exstinxit. fol. 190. Annal.)*

CAPVT XXVI.

*Officio Esbernum depellunt Pontificali,
Fortis & arx hosti præda petita ruit.
(Dum nulla est nobis mutandi fata potestas)
Secedens patria deserit ipse gregem.*

ANNO à nato Christo 1154. Esbernus Danus Occoni Episcopo è Selandia migranti & discedenti sufficitur, & confirmatur ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi. Hic, etsi initio suæ administrationis, annisque aliquot subsequenti-

quentibus, nulla mala & incommoda experiretur, quod Regnum Daniæ eo tempore pacatum ac tranquillum esset: postea tamen in magnas ac grauissimas incidit calamitates, quibus miserè conflictatus & oppressus, stationem suam deserere, & fuga sibi consulere cogitur, vt breui explicabitur.

WALDEMARVS I. Dux Slesuicensis II. postea Rex Daniæ 80. Regnum pacatum solus obtinuit, Vandalos & Rugianos ad fidem perduxit anno 1168. Iulino desolato, & eius Idolo Suanteuit destructo anno 1170. Vallo Danico murum cocti lateris, Margareta nigrae prioris coniugis instinctu superiecit. Secunda coniux Sophia, soror Canuti Regis Daniæ. Obijt VVardeburgi anno 1182. Ringstedj sepultus. Leges Scannicas promulgauit.

Post id tempus, Waldemarus solus Regnum Daniæ pacatum feliciter & quietè administrauit, etsi foris cum Vandalis gente turbulentâ & seditiosâ, quotidianis prælijs contenderet. Hanc tamen optatam Regni pacem & tranquillitatem, turbæ nonnullæ & dissensiones, inter Regem Waldemarum eiusq; subditos, nec non Archiepiscopum Lundensem Eskillum, motæ atque exortæ, iterum diremerunt ac perturbarunt. Causa autè horum motuum ac turbarum hæc fuit, quòd Eskillus, bello intestino ardente, thesaurum ingentem auri in Galliam ex Dania exportandum curasset, quem, pace constituta, domum reuehendum & referendum Monachis quibusdam mandat. Qui cum non procul à ciuitate Stadensi in pagum quendam diuertissent, & pocula, è quibus biberent, non haberent, vnus è Motiachis calicem aureum è thesauro deprompsit. Id cum vidissent prædones quidam, qui forte fortuna eo tempore vnà in hospitio essent, id quod res erat suspicati, nimirum magnam auri vim penes eos esse, de ijs spoliandis, conuenère. Holsatiam itaque rectà petunt, vt quæ

M

Mona-

Monachis transeunda esset; & cum eos plusculum temporis antecessissent, oportunitatem nacti, thesaurum, quem vehebant, eripiunt, & Monachos spoliant. De quo facinore certior factus Eskillus Archiepiscopus, apud Regem instat, pro sua autoritate & imperio curare velit atq; efficere, vt pecunia erepta restituatur. Quod si fiat, pollicetur se eius pecuniæ partem aliquam, si recuperetur, Regi daturum esse. Cumq; eam rem vrgeret Pontifex, & sollicitandi finem nullum faceret, Rex operam suam illi promittit, sed grauatè, quòd diceret eam pecuniam recuperatu difficilem esse, cum de prædonibus non constet: imò minori negotio à potentioribus eam repeti posse, quàm si à plebeis & tenuioribus ea ablata sit. Tandem Rex Archiepiscopum Slesuicum ire iubet. Ibi Rex inter pocula paulò hilarior iocari, & in hæc verba prorumpere: malè & imprudenter factum esse à bauiulis, quibus auri reuehendi cura commissa esset, quòd è poculo aureo bibissent, & suam magnificentiam & splendorem inter homines ignotos ostentassent. Quidam ex ijs, qui circa Regem erant, hanc rem & verba, quibus Rex vsus esset, ad Archiepiscopum deferunt, & sinistra calumniosaq; interpretatione Regi obtrectant, quòd in contumeliam Archiepiscopi ea Rex effudisset. Vnde iræ ac similitates nonnullæ inter Regem ac Archiepiscopum extiterunt. Huè accedebat, quòd Rex Occonem Episcopum Selandiæ, quem Eskillus Episcopatu Selandensi remouerat, Archiepiscopo inscio & inconsulto, Episcopatu Slesuicensi præfecerat. Res autem ita se habet. Cum Romæ Cardinales de eligendo Pontifice dissentirent, viginti duo Alexandrum, reliqui Octavianum elegerunt. In hoc rerum statu & dissensione, Rex Fridericus Octavianum Pontificem sua voce approbat. Cumq; yndique ex tota Christianitate suffragia collige-

ligerentur, & Rex Daniæ eiusq; Episcopi, de suffragijs ferendis, rogarentur, ibi Episcopi Daniæ omnes, qui ab Eskillo stabant, Alexandrum Pontificem, qui patulas aures haberet, receperunt: Rex verò & Occololi in Octavianum Pontificem consenserunt. His motus Eskillus, Occonem, quòd proprio motu ac autoritate in ferendis sententijs ei tanquam constituto ac designato Archiepiscopo aduersatus esset, dignitate & Episcopatu Selandensi abdicat: Regem etiam eandem ob causam excommunicationis vinculo astringit. Quæ res non mediocriter subditorum animos aduersus Archiepiscopum, & eos, qui Regis partes tuerentur, inflammavit, ita vt in multorum inuidiam & odium incurreret. Hinc contentiones & certamina inter Episcopum Slesuicensem Esbernium, qui ab Archiepiscopo ordinatus erat adhuc viuo Occone, & Nicolaum Satrapam Slesuicensem Rasi filium recentem exortum, exstiterunt: quæ tandem paulatim aucta in inimicitias grauissimas & capitales exarserunt, vsque adeò, vt Satrapa Slesuicensis vim Episcopo intentaret, eiusq; bona inuaderet. Nam die quadam ira concitatus Satrapa, Slesuico excurrit, & in Esberni Episcopi fundum impetu facto, ædificium splendidissimum demolitur, & solo æquat, quod *Gottorpiam vetustam* vulgò nominant. Cuius rudera non longè à caupona, vulgò *Rugekrogum* dicta, adhuc conspiciuntur & supersunt, cuius obuia, in loco amœnissimo sita. Nicolaus suis in mandatis dederat, omnia bona & suppellectilem, quæ *Gottorpij* reperirentur, exportandi & atrehendi. Esberni præfectus, ne id fieret, obstitit, & manu quadam exigua collecta, quoad potuit, prohibuit. Ibi dum inter se colluctantur, & rebus Episcopi, ædificio diruto, rapiendis intenti sunt, Nicolaus Slesuicensium Satrapa abs familia Episcopi occiditur. Episcopus Esbernus,

veritus, ne ob eadem commissam in ipsum faba cuderetur, simulauit se Slesuicum iturum, alioq; exulatum profugit. Idq; quod sciret sibi insidias illic parari, & si in manus Regis incideret, de sua salute actum esset. Itaq; in Saxoniam profectus in morbum incidit, cum quo aliquamdiu colluctatus, in Daniam nunquam iterum reuersus est. His cognitis Occo, qui Episcopatu Slesuicensi remotus ac abdicatus erat, Regis & Octauiani ab altera parte pro Pontifice recepti ac approbati, autoritate & imperio fretus, vt apud quos semper graciosus fuisset, in locum Esberni Episcopi Slesuicensis profugi & exulis sufficitur & surrogatur. Et ita Occo secundum exortus est Episcopus Slesuicensis. Archiepiscopus autem Eskillus, post diutinas contentiones & certamina exercita Regi reconciliatur, necessitate & metu compulsus. Libet hic inferere epistolam D. Bernhadi ad Archiep. Eskillum, amoris ac beneuolentiae plenam, & ex intimis cordis penetralibus profectam: cuius hæc inscriptio.

Ad Dominum ac venerabilem Eskilum Lundensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ in Dacia & Suetia Legatum: cuius corpus gloriosum in Claraualle requiescit iuxta matrem eiusdem Diui Bernardi.. Epistola CCCXIII.

Amantissimo Patri & Domino Eskilo Dei gratia Lundensi Archiepiscopo: Frater Bernardus Clarauallis vocatus Abbas, in vero Salutari salutem. Scripta & salutationes vestras, immo affectiones cordis vestri tam libenter suscepi: quam specialiter & diligo vos & diligor à vobis. Inde est, quod auditis tribulationibus vestris, eas non solum meas feci: sed & inueni: quia non possum te dolente non dolere dulcissime Pater: nec nisi molestus & anxius tuas molestias & anxietates audire. Tangit & angit cor meum quicquid tuum exasperat: & quicquid illud sit quod te persequitur, non solum te persequitur: sed me tecum. Quicquid enim gratia & dilectionis impendere sibi possunt absentes amici, puto & me debere

bere tibi: & mihi deberi à te. Audax sum, sed non mendax: & in hanc audaciam me compulit tua sublimitatis dignatio. Quando enim id præsumerem ego: quando tantam tantillus: & à tanto gratiam sperare auderem? Et si ego retribuere non potero: non est mortuus retributor meus: quia Dominus retribuet pro me. Dominus inquam: in quo & pro quo tanta nos deuotione complecteris: tanta stringis affectione. Benedictus sanctus angelus tuus, qui pio pectori tuo id suggestit. Benedictus Deus noster qui persuasit. Glorior priuilegio amoris tui. Refectus sum per carissimum Fratrem nostrum Filium tuum Guilelmum de abundantia suauitatis pectoris tui. Refectus sum per nuncium tuum: reffectus sum per litteras tuas: reffectus sum per omnes qui à te vsque ad nos vel per nos euadere possunt. Utinam mihi datum esset, de super hac dicere non dictare: ut me potius loquens quàm scribens aperire valerem. Pro certo acceptior esset sermo viuus quàm scriptus: efficacior lingua quàm littera. Oculi quippe loquentis, fidem facerent dictis: & melius affectum vultus exprimeret, quàm digitus. Sed quia illud absens per me non possum: per litteras quæ secundum in huiusmodi locum obtinent, satisfacio quantum possum. Nuncium tuum cum magna exultatione vidimus: & negotium tuum, quantumcunq; potuimus, muniuimus ad Dominum Papam. De Secreto autem verbo illo, quod tam ardentem ascendit in cor tuum, respondebit tibi ex parte nostra Guillelmus tuus: tuus inquam & specialiter tuus in visceribus Iesu Christi. Posui enim verba mea in ore eius, & ipsum audies tanquam me in negotio isto. Heu auellor: abripior: non licet vltra. Auocat dies malitia: reuocat turba superuenientium: & epistolam potius rumpunt quàm finiunt. Sed nunquid, quia faciunt ut paucis scribam, facere poterunt ut parum diligam? Actum excludunt à me: non affectum: ille semper tecum est: qui sui iuris est: & tecum erit quamdiu fuerit: omni mihi amicitia iure colende pie ac reuerendissime Pater.

Hic quoq; non inutile, pioq; ac beneuolo Lecto-

ri minimè ingratum fore exiltimo, historiam de sancto Ketillo Confessore ac Martyre, qui hoc fermè tempore claruit ac obiit, ex Breuiario nostro Slesuicensi huc referre & Lectori ob oculos ponere, vbi consueto more hæc præmittitur Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis, quiq; hunc diem B. Kerilli Confessoris tui solennitate consecrasti: da Ecclesiæ tuæ de tanta festiuitate letari, vt apud misericordiam tuam exemplis eius protegatur & precibus. Per Dominum &c.

Sequitur vitæ mortisq; S. Ketilli descriptio. *Beatus Vir Domini Ketillus, ex illustri profapia ortus, cum adhuc esset in atate tenera, cepit Deo deuotus existere, veraq; innocentia, & simplicitate sancta, Deo hominibusq; placere. Parentes autem eius in consinio Randiusensis oppidi habitantes in villa VV ynghe, cum essent diuites, instinctu matris, qua Deum plus timuit & dilexit, congruum duxerunt, filium studijs literarum tradere, ac gemina instructum scientia, in ministerio Domini mancipare. Traditus autem huiuscemodi studijs, non solum in liberalibus disciplinis profecit, verum etiam iuxta Psalmistæ vocem, de virtute in virtutem processit. Erat enim Humilitate præditus, Castitate præclarus, Largitate conspicuus, blandus Alloquio, firmus Consilio, Misericordia insignis, & Charitate ineffabilis. Qui & amicos in Deo, & inimicos dilexit propter Deum. In his virtutibus placens Deo, factus est dilectus, & viuens adhuc inter peccatores, transferri ad meliorem vitam desiderauit, ne forte malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam illius. Illud enim Dominicum diligebat attentius mandat. Nisi quis renunciauerit omnibus, que possidet, non potest meus esse discipulus. Quocirca non tantum sua, sed seipsum disposuit pro Domino relinquere, nudusq; crucem post Christum baiulare. Crebrescente igitur gloriosa eius fama sanctitatis, que vniuerso populo iam innotuit, ad aures venerabilis Episcopi VVybergen: Eskilli peruenit, cuius sanctis exhortationibus*

tionibus dilectus Deo amicus, quod prius mente conceperat, ad effectum citius perducere disponebat: placita enim erat Deo anima illius, propterea properabat de medio iniquitatum illum educere, atque inter Religiosos & sanctos viros collocare. Vnde factum est, vt idem venerabilis Pontifex, Spiritu S. mediante, illum sibi alliceret, & in Ecclesia maiori fratribus sociaret: qui ibidem sub Regula B. Augustini summa charitate congregati erant; & Regi Regum Domino deuoti ministrabant. Vbi primum magister puerorum constitutus, pueros commendabiliter instruxit, & preciosa volumina conscripsit. Attendens enim Apostolum dicentem; Qui non laborat non manducat, ociosus nequaquam panem comedere voluit, sed miranda præditus Gratia, duo simul opera quotidie impleuit, pueros docuit, & à scribendo interim manum non retraxit. In his ergo, atque cæteris bonis operibus, sedulus Dei seruus ac deuotus, postquam ministerij Sacerdotalis iugum, Spiritu sancto donante, suscepit, non solum donis spiritualibus multiformiter repleti meruit, sed mirandæ sanctitatis gratia vndique refulsit. Episcopus vera Eskillus eum, Spiritu sancto cooperante, in Sacerdotem consecrauit. Eolutis autem aliquibus annis, dum in Ecclesia B. Margaretae horas Canonicas psalleret, in eum irruentibus Christi inimicis, per Martyrium occubuit. Hæc ibi. (Anno 1164. xiv. Kal. Martij orta est tempestas maxima, & maris abundantia, & inuoluit aqua omnes fines Fresie, Hadelerie, & omnem terram palustrem Albie & VVirre, & submersa sunt multa millia hominum & iumentorum. Submer-

sus est etiam Richbertus Aduocatus. Stadensis fol.

192.)

* * *